

Thomas Lindemann

**Programma incentivum Quo ad Sacrum Genethliacum seu Mysterium
Incarnationis Salvatoris nostri Jesu Christi, Pie, devote & solenniter celebrandum
& grata memoria recolendum, Cives Academici invitantur : [P.P. Rostochii 25.
Decembr. Anno 1628.]**

Rostochi[i]: Pedanus, 1628

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599072>

Druck Freier  Zugang



R.U. Progr. 1628

1) Peter Warmundt

2) " "

3) Thomas Lindemann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734599072/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599072/phys_0002)



Programma incentivum
Quo
ad
Sacrum Genethliacum
Seu
Mysterium Incarnationis
Salvatoris nostri
JESU CHRISTI.

Piè, devotè & solenniter celebrandum & gra-
ta memoria recolendum,

Cives Academicci invitantur.

Propositum

RECTORE
THOMA LINDEMANNO,
J. D. & Professore ordinario.



Rostochi
Typis Joachimi Pedani Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXVIII.

ЕИЧИВДАИ БЕЛОСУРГА

ОНО

БИЧИИ ГЕЛОСУРГА

ИЧИИ ГЕЛОСУРГА

БИЧИИ ГЕЛОСУРГА

БИЧИИ ГЕЛОСУРГА

БИЧИИ ГЕЛОСУРГА

САКАМЕДИИ ГУМОНТ

САКАМЕДИИ ГУМОНТ



БИЧИИ ГЕЛОСУРГА



RECTOR
Academiae Rostochiensis
THOMAS LINDEMAN,
Juris Doct. & Professor.

LAUDIUS Cæsar Nata-
lem suum anno revoluto recurren-
tem non convivis & deliciis; sed sa-
crificiis & Eucharisticis litationibus
& hostimentis sacrum & solemnem
agi lege publica jussit: Unde cum
aliquando ipso die Natali Ecclipsis
solis incidisset avertendi ominis fini-
stri causas publico Edicto deduci & proponi voluit: Natalis
hodiernus non Imperatoris, sed cœli & terra Domini, omniumq;
Dominantium Regis, geminæ substantiæ Gigantis claritate
& fulgore suo ipsum Solem superans, cum Ecclepsi terribili,
meteoris bellorumq; atris & iræ divinæ fluminibus gravidis nu-
bibus, quas nequissimæ vitæ humanae cæcias contraxit, offu-
scatus videatur, inauspicati exinde metuendi ominis, adeoque
solemnitatis natalitiae causas publico ut significemus program-
mate mos priscus & officij nostri ratio mihi imperant: Quod
dum conor, varia & prodigiosa magnatum plurimorum Gene-

ses mibi occurserunt, inter quas Cyri memorabilis est, cuius futuram potentiam Astriages in somnio figura palmitis ex utero filiae enascentis totam Asiam obumbrantis praevidens, eundem ex Cambise genero nepotem natum ab Harpago exponi curavit, sed is miraculose a Pastore servatus solium, quod DEUS ei destinarat tandem occupavit: Alexandri Natalem auspiciatissimum duæ præpetes Aquilæ duorum Regnum Asia & Europæ prænuncia: Item duæ nunciatae patri Philippo victoriae præsagierunt: Olympia in conceptione hujus Heros se cum serpente ingentis magnitudinis volutaram mortalitate majus quid parturire prædixit: Hieroni nato apes mel, Midæ formica triticum in os ingesserunt: Romulum & Remum lupa lactavit: Omnia hæc prodiga nascentiū felicitate prænunciarunt: Mithridate nato stella pellucida tertiam cœli partem occupans apparuit: Siculi Timoleontis Syracusanorum Ducis diem natalem festum quotannis ob res præclaræ gestas & victorias partas egerunt: Quin & Epicuri discipuli vicesimum cuiusque mensis diem solemnem egerunt, quod eo Praeceporem suum natum crederent, cuius imaginem in annulis, poculis & tricliniis expresserunt, ut memoriam ejusdem semper præsentem & recentem recolerent: Et quidem prisci quid Natali cuiusque die memorabile contigisset boni omnis causa accurate notabant & exinde divinabant, convivis se invicem oblectabant, Diis pro salute libabant, litabant: Dion refert Natali Julij Cæsaris solemnia sacra destinata eaque negligentes magna pecunia summa multatos fuisse: Nero præter alia in Natali sui honorem ab eodem anni exordium sumi voluit: Non referam, Caroli Magni, Caroli quinti aliorumque Imperatorum geneses miraculosas & auspicias. Si vero hominum Natales tantam solemnitatem meruerint, quanto majorem festivitat-

rem

tem hodiernus dies requiriет? quem non Aquila, non somnia
non Augures vel Auspices, sed Prophetæ in Spiritus Sancto
schola instructi prædixerunt, quem vivere & videre Patriar-
chie & Patres nostri anxie desiderarunt, in cuius spe & fide
lætati sunt, teste Esaiæ cap. 9: instar exultantis in messe &
victoris ploria distribuentis: Jacobus in scala cœlesti; Moses
in rubo virenti simul & ardenti; Esaias in radice Jesse hunc
diem præviderunt & in eo se oblectarunt: Hic est ille
dies quem fecit Dominus: Hodie virgo vera ex Regia profa-
pia prognata radians, ac vili & abjecta ueste induita Deum
& hominem peperit: Hodie ex creatura Creator nasci di-
gnatus est. Mater innupta ventris sui partum miratur, au-
toris sui auctor efficitur: Hodie verus Sciloch Moschel, ve-
rus Hermes Trismegistus, Leo de tribu Iuda nascitur. Leo-
nem Tartareum vincit, ex ejusque faucibus genus humanum
eripiens idem peccatis mortuum vitæ restituit: Verè hic est
admirabilis apñtæ in cœlis, amatæ in terris, DEUS de-
DEO Patre homo de matre sine patre, de patre sine tempore,
de matre sine semine: Hodie mors perit, quia vita nascitur;
mendacium tollitur, quia veritas oritur; Sol novus elucescit,
novus fons scaturit: Hujus diei thema describere homines
quidam, & inter eos Petrus de Alexiaco cap. 2. de Concordia
Astr. nec non Cardanus tentarunt, sed aciem humanae mentis
ad totius cœli aspectum penitus habescere adverterunt. Ho-
die natus Rex vagit in cunis, ac tonat in cœlis, involvitur
fasciis, qui dominatur in nubibus: Teneræ hujus pueri ma-
nus orbem rotant, parvi ocelli solem illuminant, pedes exigui
Tartara ealcant: Obstubescit miraculum hoc omnis creatura,
cui simile quid non vidit ulla creatura: Viderunt patres
noſtri escam Angelicam de cœlo stillantem; viderunt latices

A. 3.

ex:

ex lapide durissimo statuentes dulcissimos; viderunt eum
sum Jordani subsistentem, securim natantem; Solem fixam
fede manentem; imo contra naturam retrogredientem: Sed
nulla ætate unquam visum vel auditum est, filium unigeni-
tum altissimi quem trementes Angelorum suscipiunt & vene-
rantur potestates adsumpta humana natura hominum dam-
natorum commodo nasci.

Sed quo magis arcana mysterij hujus scrutamur, eo id
profundius immo & sublimius captuq; difficilius esse agnoscimus,
idemque nobis contingit quod Simonidi, qui à Hierone DEI
definitionem tradere jussus aliquoties deliberandi spaciū petet
in hæc verba prorupit: Quo accuratius indago eo minus in-
venio: quod verò rimari non licet venerari addecet: Unde
& sancta Ecclesia in memoriam hujus tanti ineffabilis myste-
rij & beneficij festum hodiernum natalitium institui idque
sacrum agi voluit: Aperitur nobis hodie templum salutis,
quod ingredientes merito Gentilium antistitum more praæconia
voce exclamamus: έντες έπας Βέβηλοι. Et quod Platonem
foribus scholæ sua inscripsisse accepimus, εδεις αγεωμέτρητοι
είσιτω, illud paulo aliter valvis templi hujus inscribimus,
εδεις ανεψιτοιτω. Zeno Philosophus scholâ suâ exesse vo-
luit stupidos & hebeti ingenio præditos dicens: "Απειθι λάβας
δοκιμεῖται. Idem summo jure de illis dici potest qui de mira-
culosâ Christi nativitate crassò ac humano more loquentes e-
jusdem negare conantur omnipotentiam. Hi à sublimi In-
carnationis mysterio merito arcentur, ansas enim non habent ut
Christum natum sincerâ fide possint apprehendere. Rece-
dant ergo à limine sacro Novatiani, Samosateni, Nestorij,
Arriani, Eutichitæ, Ebronitæ aliquique blasphemæ; Cedani
Cyclopes Cyrces poculis fascinati, qui fortes bellatores can-
tharo

charo existentes flore Liberi se perluunt, hirci Petulci hinc inde per plateas Faunorum more cursitantes & fora boatis impletentes: Accedant sirtientes salutem & sine precio nectar bibant; Accedant esurientes & Ambrosia pascantur; Accedant immundi & purgentur, perditi & serventur; currant vincti & liberentur, tristes & recreentur. Hic salutifera omnium morborum panacea, hic Moly illud Homericum est, quod gustantes tuta erunt ab omnibus Diaboli beneficiis damnosisque hujus mundi illecebris: Hic verum Nepenthes omnes dispellens tristiarum nebulas. Ecce adornatur hodie musa vere Angelica cum Angelicis hisce cantoribus cum pastoribus exsultantibus, accinamus & laetemur: Romanos legimus Natalem Urbis Romæ recurrentem quotannis veluti sacerdrium solemnni ritu celebrasse, eoque ipso vel cruentem effundi vel animal ullum matari vel prophanum ullum actum peragere piaculum fuisse legimus: Hodie cum non Urbis conditæ, sed totius orbis redempti & renati natalem agimus, quanto magis ab omnibus ludicris abstinere, pravos affectus abjecere novumque & regeneratum hominem induere jubemur: Romani hodie tertium Jani Templum pace universaliter restituta clauerunt, id vero hactenus parulcum fuit peccatorum nostrorum molibus apertum maritales sacerdotes emisit totum terrarum orbem sanguine, ejulatibus & fletibus implevit. Hinc hujus diei claritas novis meteoris Ecclipsin quandam passa denuo perrumpit, pravos halitus discutit & orbem radios suis collustrat: Prodit hodie Heros pacificus mirabilis, caduceator verus, bellatores quiescere jubens pacem serio precanibus pollicens & hoc ipso tempore animos pacis cupidos adornans & efformans, fores bifrontis Jani sub Januarij advenientis felix auspicium manu forti comprehendens & posse

centi

zenti dextera claudere sat agens. Macedones legimus bel-
lum inituros Regem etiam in eunis vagientem infantem in
militiam duxisse, eoz præsente felicissime pugnasse: Nos pa-
cem nunc anhelantes pacificum hunc Regem puerum nobis hu-
manitus natum, filium divinitus datum pacis tractandæ Di-
rectorem piis precibus in contriti cordis præsepi Fehovæ patri
exhibeamus, consurgentem & cervicibus nostris impendentem
trucis & cruenti belli nubem, quam jam fulminantem ac to-
nantem, imò magno cruoris imbre omnia fœdantem videmus,
pœnitentie flabris precumque vi depellamus ac fugemus, ut
tandem Pax & Justitia in plateis nostris obviam sibi proce-
dant & dominentur in terris: Hoc ipsum cum nemo non vo-
veat, imò Turtur & Milvius sua tempora agnoscant, nil du-
bito quin Cives Academicí operas suas ad votorum nostrorum
optatos eventus promovendos ultro & sponte collaturi sint.
Secus si faxint, vindicem Dei manum adversus se concitatibunt
& censuram Apostoli gravem i. Corinth. 16. vers. 22. Si quis
non amat Chriſtum Anathema sit Maranatha, experientur.

P. P. Rostochij 25. Decembr. Anno 1628.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734599072/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599072/phys_0011)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734599072/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734599072/phys_0012)



ris bestiis quicquam differunt, aut domi-
vitæ, ulla gens, aut etiam hominum un-
stante aut ipse mundus consistere potest.
tanta sit legum autoritas excellentia atque
culamur Academiæ nostræ de præstantissi-
mido, quo eam Deus Opt. Max. veluti
esse voluit, & ultra ducentos annos sibi
menter quod speramus & precamur imp-
bit. Ne vero quisquam ignorantiae le-
peccandi illecebram foveret, more ma-
tis Academiæ receptum est, ut singulis i-
ges Academicæ publicè recitentur, à
vindicentur, & ad earundem observant-
demici seriò moneantur. Judæi volun-
legis divinæ mandata scripta ferebant
fronde: habebant in limine domus,
quam obliviscerentur. Duodecim ta-
pueris ad ediscendum proponebantur.
ges olim appellabantur, quod priusqua-
nes scirent, leges nossent & cantarent, n-
traderentur. Et Tuisco Germanorum re-
carminibus est complexus, quæ publicè
cantarentur, ne oblivio illas obliterare
ignorantia. Quod si olim hoc factum e-
gis hoc conclamato & perversissimo se-
petitio & diligens inculcatio necessaria
quo mobilissima juventus diversis po-
fluctibus agitata, ductore fideli eget q-
rectâ eam ducat, ne in vastissimo pel-
naufragium patiatur. Adeste ergo c-




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

the scale towards document

ci-
tus
tur
ra-
um
m-
ele-
va-
xtu-
tu-
Lc-
ias
ca-
Dei
s &
un-
gcs
le-
mi-
illæ
gcs
im-
uret
ma-
re-
tc
im-
im-
ndo-
na-
ivcs: